



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

CLXXXV. Gerhard, Bischof von Hildesheim, bekundet den Verkauf der beiden Dörfer Klein Drewenstedt und Jubar Seitens des Klosters Isenhagen an das Kloster Diesdorf, am 2. April 1375.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55716)

CLXXXV. Gerhard, Bischof von Hildesheim, bekundet den Verkauf der beiden Dörfer Klein Dreuenstedt und Zubar Seitens des Klosters Jsenhagen an das Kloster Diesdorf, am 2. April 1375.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Nos Gherardus, dei et apostolice sedis gracia hildesemenfis ecclesie Episcopus, Ad vniuersorum, quorum interest, noticiam, seu ad quos presencia peruenerint, deducimus in hiis scriptis. Cum tam Jure ciuili quam Canonico prohibetur, res ecclesie alienari et vendicio, donacio et permutacio alienacionis nomine inphenduntur, tamen permutacio seu vendicio earundem per prelatos fieri debita sollempnitate adhibita permittuntur, vt meliora prospiciant et ecclesiis sint profuturæ. Sane dilecti nobis in christo prepositus, Abbatissa et Conuentus monasterii monialium in ysenhagen nostre hildesemenfis dyocesis ac ipsum monasterium graui pensione XXV marcarum denariorum luneborgensium annua certis personis danda in perpetuum pregrauati pro ducentis marcis dictorum denariorum ab ipsis comparata ex ineuitabili necessitate dicti monasterii deliberatione matura nobiscum prehabita; Considerantes irreuerabile dampnum sibi et suo monasterio ex solutione dicte pensionis imminere et alias ab huiusmodi pensione releuari non posse, nisi mediante venditione vel obligatione bonorum aut rerum eiusdem sui monasterii, de nostro consilio villam quandam paruum dreuenstede et aliam villam modicam Jubere dictam verdenfis dyocesis ipsis et dicto monasterio suo minus vtiles ex causa distancie et alias, pro quadringentis marcis dictorum denariorum venerabilibus et religiosis preposito, priorisse et Conuentui monasterii monialium in distorpe realiter vendiderunt Et se ac dictum suum monasterium cum ducentis marcis de dictis quadringentis a dicta annua pensione XXV marcarum releuauerunt Et cum aliis ducentis marcis molendinum in Swembeke et duas curias et tres casas ibidem cum omnibus suis attinenciis nostre hildesemenfis dyocesis dicto monasterio necessarias, vtiles et vicinas cum omni Jure et proprietate comparauerunt, ab Ottone Bodendorpe iusto empcionis tytulo per ipsos et suum monasterium perpetuo possidendas, Quas quidem villarum predictarum vendicionem monasterii in ysenhagen, absolucionem dicte pensionis, releuacionem dicti molendini ac curiarum et casarum cum suis attinenciis, Juribus, proprietatibus et pertinentiis comparacionem seu reempcionem ac omnia et singula premissa auctoritate nostra ordinaria de consensu et consilio illorum, quorum interest, consensimus et approbauimus, consentimus et approbamus tenore presentium et In dei nomine confirmamus. In quorum omnium et singulorum premissorum euidentis testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Actum et datum in castro nostro Sturwaldis, anno domini M^o CCC^o LXXV^o, feria secunda post dominicam Letare. Presentibus honorabilibus et discretis viris Euerhardo, decano sancti andree, magistro ludolfo de melchowe, thesaurario, Bernhardo Bernhardi, canonico sancti mauricii montis ecclesiarum hildesemensium, Tiderico, plebano in gisen, hermanno de wettere, clerico hildesemenfis et maguntinensis dyocesium, et quam pluribus aliis fide dignis, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.